

PARS PRIMA PNEUMATOLOGIÆ.  
DE DEO ET IPSIUS ATTRIBUTIS.

Cum ex actuali proposito nostro præsentes Philosophicæ Institutiones alumnis seminariorum præcipue sint destinatæ, et velut exordium ad theologiam esse debeant, de tribus pneumatologiæ partibus modo assignatis juxta Scripturam, traditionem et rationem simul tractaturi sumus.

Duae quæstiones gravis ponderis hic pertractandæ occurunt, quarum prima de existentia Dei, et secunda de ejus attributis.

QUÆSTIO PRIMA.  
DE EXISTENTIA DEI.

Dei existentiam astruere nos cogit detestanda perversitas quorumdam hominum, qui, spredo rationis lumine et excusso omnis religionis jugo, ut cupiditatibus liberius indulgeant, in insipienti corde suo exclamare non erubescunt : *Non est Deus* (*Ps. XIII, 1*). Isti homines atheisti dicuntur, id est, sine Deo. Qui vero existentiam Dei agnoscunt, vocantur *theiste*: dicuntur etiam *deistæ*; sed posteriori hoc nomine pessimí ali⁹ designantur homines, qui, Deum admittentes, quamlibet religionem revelatam audacter rejiciunt.

Distinguuntur atheisti *speculativi* et atheisti *practicæ*. Athei speculativi sunt illi qui Dei existentiam non agnoscunt, et atheisti practici ii sunt qui Deum agnoscentes, vivunt sicut persuasum haberent Deum non existere : *Quorum Deus venter est* (*Paul. ad Philipp. III, 19*), etc.

Athei speculativi possunt esse *negativi* vel *positivi*.

Athei negativi ii dicuntur qui Deum ignorant, et positivi sunt illi qui Dei existentiam negant et suam negationem rationibus fulcire conantur. Dicuntur etiam *systematici*.

Quando de existentia Dei tractare intendimus, non supponimus illum ignorari et ope discussionis exquirendum esse : sed, fide in ipsius existentiam jam data et manente firmissima, investigamus argumenta quibus ipsius existentia et attributa astrui et ordinari possint.

Si autem occurrerent atheisti speculativi, hæc argumenta ad eos illuminandos valde inservient; videbitur enim infra quam sint clara et invicta, imo et omnibus intelligentiis, pleraque saltem, obvia.

Primum disputari posset an revera sint atheisti qui sophismatibus decepti, persuasum habeant Deum non existere; sed multos dari atheos *practicos* luctuosa constat experientia.

*His notatis*, præsentem quæstionem in duo dividemus capita : in primo de theismo et atheismo inter se comparatis dicemus, et in secundo præcipua referemus argumenta quibus existentia Dei demonstratur.

## CAPUT PRIMUM.

## DE THEISMO ET ATHEISMO INTER SE COMPARATIS.

Quinque institui possunt quæstiones circa theismum et atheismum, videlicet : 1º an quis prudenter manere possit indifferens circa Dei existentiam; 2º an ex atheismo sequantur incommoda; 3º an theismus præstantior et optabilior sit atheismo; 4º an tutor; 5º an atheismus polytheismo sit pejor. Has quæstiones in totidem articulis solvemus.

## ARTICULUS PRIMUS.

## AN QUIS PRUDENTER MANERE POSSIT INDIFFERENS CIRCA DEI EXISTENTIAM.

Cum certum sit multos esse atheos *practicos*, qui, terrestribus inhærentes, ne oculos quidem ad Deum suble-